



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **IAM A PRIMORDIIS** STEMPLUM DEO DICATUM IN HONOREM  
SANCTAE CATHARINAE

AB ALEXANDRIA, VIRGINIS ET MARTYRIS, IN OPPIDO V.D. PEDARA,  
IN ARCHIDIOECESI CATANENSI, AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Iam  
a primordiis Ecclesiae revelat Christus excelsam praestantiam et arcanam spiritalem virginitatis fecunditatem (*Vita*  
*consecrata*, 22), cuius sancta Catharina Alexandrina nitens sane est exemplar. Libentes ergo accepimus postulationem  
Venerabilis Fratris Aloisii Bommarito, Archiepiscopi Catanensis, ut templum paroeciale, ubi sanctae Catharinæ ab  
Alexandria cultus viget eiusque castimoniae et martyrii testimonium plurima iam saecula a sacerdotibus praedicatur et a  
christifidelibus piissime colitur, dignitate basilicae Minoris exornaretur. Certiores facti hanc aedem aequo modo etiam  
architectonice et liturgice commendari, eiusmodi petitioni sine mora concedimus, confisi sane fore ut, intercedente sancta  
Catharina, hoc privilegium ad bonum populi Dei illius regionis et fidei emolumentum haud parum conferat. De consilio  
ideo Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, potestate Nostra Apostolica per has Litteras  
statuimus, ut ecclesia paroecialis Deo dicata in honorem sanctae Catharinæ ab Alexandria, virginis et martyris, in oppido  
v.d. Pedara archidioecesis Catanensis titulo et dignitate Basilicae Minoris fruatur, iuribus additis et privilegiis huiusmodi  
templorum propriis, servatis iis quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris, anno  
MCMLXXXIX datum, servanda sunt. Haec vero nunc et in posterum firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non  
obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Aprilis, anno MCMXCVI,*  
*Pontificatus Nostri duodecimmo. ANGELUS card. SODANO*

*Secretarius Status © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana*

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana